



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

I. De summa Trinitate & fide catholica, ex Concilio domini Eberhardi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1410.
procuratorum; & * venerabilium abbatum & aliorum
prælatorum, & totius sacri Concilii Saltzburgen sis appro-
batione, consilio & consensu, omnia & singula statuta re-
uerendissimi patris & domini domini Guidonis tunc sancti
Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, & reuerendi
patris & domini domini Ioannis episcopi Tusculani, apo-
stolicæ sedis legatorum, dum in nostra prouincia lega-
tionis officio fungerentur; & reuerendissimorum patrum
& dominorum diuæ memoria Friderici, Chunradi, Pil-
grini, sanctæ Saltzburgen sis ecclesiæ archiepiscoporum ac
legatorum sedis apostolicæ, prædecessorum nostrorum,
edita in ipsorum prouinciis seu Conciliis prouincialibus,
innouamus, & obseruari præcipimus. Quibus nouis mor-
bis emergentibus noua remedia adhibentes, statuta sub-
scripta, de venerabilium fratrum nostrorum prædicto-
rum & totius prouinciae approbatione, ordinamus & sta-
tuimus, volentes & præcipientes, easdem nostras consti-
tutiones ab omnibus & singulis nostris suffraganeis, & eo-
rum subditis firmiter obseruari & publicari in ipsorum
Synodis, copiasque illarum potentibus decernimus sub
potentium sumptibus & expensis.

I.

*De summa Trinitate & fide catholica, ex Concilio
domini Eberhardi.*

De summa Trinitate, quæ propter sui exquisitissimam
& probatissimam perfectionem, ac clarissimam & luci-
dissimam veritatem, adiectione vel declaratione vlla non
indiget: ad quam in primis, tamquam principium, me-
dium & finem salutis omnium, corda nostra, manus & o-
culos eleuemus deuoti: nihil aliud est credendum, te-
nendum & docendum, nisi quod Romana credit, tenet
& docet ecclesia, piissima, sanctissima, & prudentissima
mater nostra: ita tamen, vt omnes prælati articulos fidei
principales fideliter suos subditos laicos doceant simili-
citer credere, sicut ecclesia: * ecclesiasticos vero, expli-
cite & distinete.

Item statuimus, vt si aliquis clericus, vel laicus vtri-
usque sexus, cuiuscumque dignitatis, religionis vel status
existat, ausus sit præsumptione damnabili publice præ-

P p p iij

dicare , aut occulte docere , credere , vel tenere , quod sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere corpus Christi ; seu , sic ligatus , non possit soluere vel ligare suos subditos a peccatis ; pro haeretico & incredulo habeatur. Quem errorem huius sacri Concilii approbatione damnamus , anathematizamus , & penitus reprobamus ; cum sacrae scripturæ dicat auctoritas , quod siue bonus , siue malus sit minister , per utrumque Deus effatum gratia confert. Non enim , quæ sancta , coinquinari possunt ; nec ipsa sacramenta propter hominum malitiam profanari. Vnde sacerdos , quantumcumque pollutus existat , diuina non potest polluere sacramenta , quæ purgatoria cunctarum contagionum existant. Licate ergo a quocumque sacerdote ab ecclesia tolerato diuina mysteria audiantur , & alia recipiantur ecclesiastica sacramenta.

Damnatione simili reprobamus quorumdam opinionem erroneam , afferentem , episcopum , presbyterum seu sacerdotem curatum non posse absoluere presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum castitatis : Inhibentes , ne quisquam de cetero prædictam opinionem sub poenis prædictis docere , tenere aut dogmatizare quoquo modo præsumat publice vel occulte.

II.

De Constitutionibus.

Frustra sanctorum decreta Canonum antiquis fuissent ordinata temporibus , si illorum executio negligatur. Hinc est , quod nos Eberhardus Dei & apostolicae sedis gratia Salzburgensis ecclesiae archiepiscopus , apostolicae sedis legatus , statuta Romanorum pontificum de celebrandis provincialibus Conciliis & episcopalibus Synodis diligenter cupientes obseruari , ordinamus , quod nostrum provinciale proximum Concilium a festo sancti Augustini proxime futuro ad annum indicimus publice , & intimamus in hac ciuitate metropolitana nostra Salzburgensi , per nos , Deo concedente , aut nostros procuratores solenniter celebrandum ; nisi ex emergente causa , utputa , guerræ , pestilentia , aut alia , duxerimus locum immutandum. Quam mutationem loci etiam congruo tem-